

Universitätsbibliothek Paderborn

Exemplorvm Libri Tres

Liber Tertivs, Sive Exempla Divinae Irae, Per Opera Poenitentiae, Nobis
Leniendae - Per Qvadragesimam Anno M. DC. XLVIII. narrata

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1650

§. 12. Christo patienti nos esse conformandos.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48194](#)

iudicauit? sicut Gallos? Itaque iam in vicinia habemus hostem; iam armis vndiq; cingimur; iam hostilia experimur; iam pluri-
mi adsunt spoliati, domo pulsi, in exilium acti, percussi, depau-
perati, ad incitas redacti, pleni lachrymis, pleni calamitatibus,
viri dolorum, mulieres lamentabiles, infantes miserabiles. Quid
faciemus? Hæc volentibus nolentibus æquè sunt patienda. Si
sumus impatientes, si blasphememus, si desperemus, rem non facie-
mus meliorem. Impatientia nullius doloris remedium est: sed
omne malum reddit grauius, & duplcat; & insuper meritum
tollit, ac infernum meretur. Quòd si omnia mala, tamquam fla-
gella à Domino immissa, acceptemus, non augebimus illa, sed leui-
us sentiemus, quia iā non animo reluctantे, sed volente patiemur;
quin & diuinam iram placabimus, vt Rhemensis; & veniam im-
petrabimus; & peccata discemus detestari, quæ harum poenarum
causa fuerunt; denique & Christo, qui pro peccatis nostris satis-
fecit (ex quo omnis nostra sufficientia) si satisfaciendo patimur,
conformes efficiemur, & spem nostram firmabimus. Nam si com-
patimur, & conglorificabimur.

Rom. 8. 17.

Cùm enim Christus Dominus passus sit pro peccatis nostris, iniquum esset, si nos ipsi pro peccatis nostris nihil pati vellemus, Christus passus est pro nobis, ait S. Petrus: vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia eius. Et S. Paulus promittit nos cohæredes fore Christi, si tamen compatimur, vt & conglorificemur. Non omnia nostra Christus expleuit, ait S. Gregorius. Per crucem quidem suam omnes redemit, sed remansit, vt qui redimti & regnare cum eo nisi-
titur, crucifigantur. Hoc profectò residuum viderat, qui dicebat: Si compatimur, & conregnabimus: quasi dicat: Quod expletit Christus, non valet nisi ei, qui id, quod remansit, adimpler. Quapropter Apo-
stolus ait: Adimpleo ea, quæ desunt Passionum Christi in corpore meo. Quis autem cum Christo non velit pati? Si rex quispiam inno-
cens, pro graui delicto serui sui, ita vellet satisfacere, vt diceret:
ecce vna ibimus, vna cædemur, ita tamen vt tu seruus nocens non
nisi vnum ictum sustineas, donec mihi mille infligantur, quis ser-
uus eiusmodi poenam detrectaret? Et tamen Christus hoc facit;
rex tremenda maiestatis, infinitæ potentiae, coram quo Angeli
faciem suam tegunt, cali & terra moderator, coram quo om-

XII.

CHRISTO PA-
TIENTI NOS
ESSE CONFOR-
MANDOS.
2. Pet. 2. 21.
Rom. 8. 17.
S. Greg. in c.
9. lib. 1. Reg.

Col. 1. 24.

LIX

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Cap. VII. Rhemensium exemplo demonstratur, quid posuit satis factio-
nes mundi Reges & Monarchæ nihil sunt. Ille patitur tormenta
crudelissima, dolores, quibus non inueniuntur in hac vita pares;
injurias, quales nemo aliis umquam tolerauit. Et sanè pro ser-
uo nequissimo, ingratissimo, pro mancípio rebelli, pro terræ
vermiculo, cuius non indiget. Ut eum eripiat ex Oceano calam-
itatum, & omnis boni thesauris in cælo locupletet. Idq; summo a-
moris affectu. An nō & nos, hoc quidquid est, mali, quod ex bello
germinat, pro peccatis nostris patiemur? & vel hoc temporis
momento offeremus, dicentes: Accipe omnia Deus, pro pecca-
tis meis? Iustus es, merui & hæc, & plura. Atque vel hinc
agnoscemus, quantum oderis peccata, quæ in hac vita tam seuerè
punis; immo quæ tam atrociter plectis in Filio tuo vnigenito:
numquam enim manifestius ostendisti, quantum detesteris pecca-
ta, quam quando illi, quem infinito amore prosequeris, & tam-
quam alterum te diligis, innocentissimo, qui te numquam offendit,
sed tibi in omnibus obtemperauit, tantum malorum impo-
suisti, neque acquieuisti, donec eum afflictissimum redderes, ple-
num plagis & doloribus inter duos latrones pendenter; non alia
causa, quam quod in se suscepit poenam nostrorum peccato-
rum. Quod si tam immani odio atq; implacabili peccatum per-
sequeris, vt illud in Filio tuo unico, innocentem, tam terribili mo-
do punias, idcirco tantum, quia pro seruo inutili fideiussit, quan-
to odio peccatum in ipso peccante seruo persequeris? An non
dignissimum est, vt ille quoque aliquid, immo multum patiatur?
vt tibi satisfaciat? Vide columnæ alligatum & flagris concisum;
vide spinis caput conuulteratum, vide, mi peccator, in infami
ligno suspensum verum Deum, cæli & terræ Conditorem supre-
mumq; omnium Dominum; tua peccata sunt causa tantorum
eruiciatum, & tam dire mortis. Omnia hæc perfert, vt te à
peccatis tuis emundet, vt poenam exoluat, quam tu ob illa diuinæ
iustitiæ debebas, & vt tu eum tandem amando, ad beatitudinis
tuæ fruitionem perducaris.

XIII.

*QVAM DVRI
SINT, QVI
EXEMPLIO
CHRISTI NON
MOLLIVNTVR?*

Iphis Anaxareten cùm necquicquā amaret, ad fores eius se
suspendisse fertur: quod funus cùm illa siccis oculis aspexisset, fin-
gitur in saxum esse commutata. Christus amore tui, ô anima pec-
atrix, quia cum redamare noluisti, in monte Caluarie suspensus

cxt